1 Reischl (Andreas) Von dote pro delitia per testamentum &

2 Benkel (Joh.) Disputatione de Dote mariti speciatim Morgengabe

3 Schaede (Joh. Daniel) Dissertatio in Dote mariti &

4 Klingschius (Christ.) Dissertatio de Impedimentis Dotis a vidua &

5 Anselm (Joh. Christ.) Dissertatio de Repetitione Dotis solutae &

6 Wollers (Eidelike) Dissertatio de Dote virgini a marito relictae &

7 Rammacher (Gerardus) Disputatio de Jure Dotalitiorum &

8 Scherzius (Joh. Georg.) Dissertatio de Dotalitio vom Leibgeding.

9 Pestalozzi (Conradus) Dissertatio de Dotalitio et abusum &c.

10 Francke (Carolus Sigism.) Selecta Juris Dotalitii capita

11 Mert (Joh. Georg.) Aus dotalitium refe— propter secundas nuptias

12 Rheden (Casp. a) Disputatio de quo justum est in dubio ubi de genuino praei —

13 Barthe (Tobias) Dissertatio de Dubitante

14 Castillus (Jacobus) Tractatus De Duello

15 Colonnensis (Bonav.) Tractatus De prohibitione Duelli

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

NON DARI PACTA DOTALIA PER TESTAMENTVM VNIVS CONIVGIS INVITO ALTERO REVOCABILI.

SVB PRAESIDIO

DIVINI NVMINIS

EX DECRETO ET AVCTORITATE

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ALMA NORICORVM ALTORFFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

ET PRIVILEGIA

RITE CAPESSENDI

PVBLICE DEFENDET

ANDREAS RIESCH

LINDAVIO-ACRONIANVS.

DIE XXIII. DECEMBRIS CIƆIƆCCXLV.

ALTORFFII NORICORVM,

LITTERIS IOHANNIS ADAMI HESSELII.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

PAradoxon parturire uideor, ſi publice defendendum ſuſcipio, non dari pacta dotalia per teſtamentum unius coniugis inuito ac inſcio compaciſcente reuocabilia; in uulgus quippe nota eſt diſtinctio illa inter omnes recepta, qua pacta dotalia iniri dicuntur uel per modum contractus, uel per modum ultimae uoluntatis, haec quocunque tempore reuocari poſſe etiam ab uno coniuge, altero inuito inſcio, illa uero non niſi utroque coniuge conſentiente unanimiter docent.

LVDOVICI *uſ. pract. diſt. iurid. Lib.* 23. *Tit.* 4. *diſt.* 1.
Idem doctr. ff. Tit. de pactis dotalibus §. 1. 2.
LAVTERB. *Coll. ff. cit. tit.* §. 3.
STRYCK. *caut. contract. ſect.* 3. *cap.* 8. §. 16. *et ſeqq.*
Idem Tract. de ſucceſſione ab inteſtato diſſert. 8. *cap.* 5. §. 41.
BERGER. *Oeconom. Iur. Lib.* 1. *Tit.* 3. §. 11. *et ſeqq.*
STRVV. *Synt. Iur. ciuil. Exerc.* 30. §. 19.
HEINECCIVS *Elem. Iur. Germ. Lib.* 2. *tit.* 6. §. 171.

Digitized by Google

§. II.

Sed quemadmodum haec doctrina principiis Iuris Germanici, quae a ſimplicitate Iuris Gentium, in materia imprimis pactorum, non receſſerunt, minus conuenit, ita mirum non eſt, ſi aliis haud obſcuri nominis IConſultis ſuſpecta eſt uiſa, iique ſententiam contrariam amplexi ſunt, quos citat

STRYCK. *de ſucceſſione ab inteſtato* *cit. loc.*

qui quidem ipſe male ſibi conſtans utramque ſententiam tam reuocabilitatis quam irreuocabilitatis, illam quidem in praxi receptam, hanc uero aequitati conuenientiſſimam profeſſus eſt.

§. 40. *et* 41.

§ III.

Nec magis mirandum eſt, ſi utriusque ſententiae Patroni inter ſe non conueniunt, quae pacta dotalia pro ultima uoluntate ſeu pro mixtis adeoque reuocabilibus, et quae pro contractu, ſeu ſimplicibus, conſequenter irreuocabilibus ſint habenda, cum tamen reſpondendo et ſententias ferendo rem acu tetigerint in conſiliis, quotquot adhuc uidere contigit. Docentes nempe opinionum uarietate irretiti, uetuſtati huius diſtinctionis, eiusque Patronorum auctoritati nimium tribuentes, religioni ſibi duxiſſe uidentur, repudium dare theſi dudum probatae; e contra uero in cauſis litigioſis ſententiam ferentes, dum ſpretis ſubtilitatibus argutiisque commentatorum ſanae rationis dictamen ductumque ſecuti ſunt, non potuerunt non palpare, quid in Inſtrumentis dotalibus conſtituat pactum, quidue ultimi elogii formulam prae ſe ferat.

§ IV.

Cel. STRYCKIVS de cautelis contractuum Sect. 3. cap. 8. §. 21. criteria ſuppeditaturus, ex quibus dignoſci debeat, an pacta dotalia

per

Digitized by Google

per modum contractus, an ultimae uoluntatis ſint inita, fateri non erubeſcit: *Vnico etiam uerbulo effici poſſe, ut ex pactis ſimplicibus fiant mixta, E. gr.* Es ſolle auf begebenden Todes-Fall der über-lebende Ehe-Gatte alle Güter behalten und haben, *pacta erunt ſimplicia adeoque irreuocabilia, ſi uero inferantur uerba ultimam uoluntatem ſapientia, E. gr. ſi pro* Haben *ſcribas* Erben, *uel* ſuccediren, *pacta erunt mixta et hinc mutabilia.*

Quod ſi uero in eiusmodi pactis uocabulum Erblich forſan occurreret, per hoc non impediri putat, quo minus pacta pro contractu haberi debeant, cum haec uox etiam contractibus applicari ſoleat; Er hätte es ihm erblich verkaufft, erblich geſchenckt, in tantum, ut ex eo ſolo pacta non fiant mixta, ſi dicatur: Der überlebende Mann ſoll der Frauen Güter erblich haben, ſed tum demum mixta forent, ſi diceretur: Die Güter ſollen erblich auf den Mann verfallen. Ex hoc uero aduerſus Leges ſequeretur, uerborum corticem, et externa uocabulorum ſchemata menti paciſcentium derogare, et negotii naturam immutare poſſe, niſi auctor mox §. ſeq. aliam ſententiam ſaniorem quidem amplexus foret, conſilium ſuppeditando, quomodo pacta ſimplicia ſint concipienda, ut per modum contractus inter uiuos ſubſiſtere debeant, addendo nimirum expreſſe: E. gr. Es haben ſich beede Eheleuthe dahin verglichen, das auf begebenden Todes-Fall der Uberlebende alles behalten, und des Verſtorbenen Freunden nichts hinaus geben ſolle, wie dann ſolches alles *per modum contractus et actus inter uiuos* beſtändig gehalten werden ſolle. *Ita enim,* inquit, *non nocebit, ſi forte incidenter uerbulum aliquod inſertum, quod ultimam uoluntatem ſapiat, cum ſemper principalis intentio contrahentium inſpicienda ſit, quae intentio ex uerbis incidenter prolatis mutationem non recipit*, quam bene uero hae ſententiae cohaereant, aliis iudicandum relinquo.

§. V.

Ex poſteriori tamen ſententia ſequeretur, omnes articulos in pactis dotalibus comprehenſos indiſcriminatim inuita altera parte eſſe irreuocabiles, cum uix ulla pacta condantur, in quibus paciſcentes uel in ingreſſu Inſtrumenti uel eius concluſione, non adhibeant tales loquendi formulas, quas STRYCKIVS pro cautela ſupra laudauit, id quod tamen apprime falſum, uti ex infra dicendis patebit.

§. VI.

Alii alias notas pro diiudicanda pactorum dotalium indole ac natura, alias formulas, aliasque cautelas inculcant, quibus eiusmodi pacta, omniaque in iis comprehenſa capita, ut contractus, actusque inter uiuos ſuſtineri poſſe putant, quas enumerare non eſt operae pretium, cum omnes in unum cum STRYCKIO cornu conſpirent.

§. VII.

Vt iam ego, quid ſentiam paucis dicam, conſtat inter omnes, pacta illa antenuptialia inter neogamos erigi ſolita, latioris plerumque eſſe ambitus, quam pacta dotalia Romanorum; haec etenim de dote tantum cauebant, illa autem ſimul etiam futuram ſucceſſionem coniugum tractant, adeoque nomine minus quam facto complectuntur; in his itaque cum plerumque alter alteri contrahentium in caſum mortis certam bonorum portionem paciſcatur, uſu populari eo res deuenit, ut quaſi connexitatis gratia adiiciatur, cui reliqua bonorum portio deſtinata ſit, hinc uix datur Inſtrumentum ſuper pactis antenuptialibus erectum, cui non ſimul inſertum ſit ultimum quoddam elogium; quemadmodum uero pacta ipſa naturam, indolem ſimul ac uirtutem ſuam ita retinent, ut non niſi utroque coniuge conſentiente mutari aut diſ-

ſolui

Digitized by Google

ſolui poſſint, conſequenter a forma ultimae uoluntatis longe ſint aliena, Ita etiam effata illa incidentia de reliquis bonis, alteri coniugi non adſcriptis, tantum abeſt, ut et improprie tantum pactis adnumerari queant, ut potius contradictionis notam inuoluat, pactum dicere per modum ultimae uoluntatis conditum, cum illud praeciſe duorum uel plurium conſenſum, haec autem unius tantum effatum requirat; e contra uero haec effata unius tantum coniugis incidenter et connexitatis gratia facta pactis tanto minus accenſeri poſſunt, quanto certius eſt, haecce effata prout unius ſunt coniugis, ita unius etiam contraria uoluntate mutari ac reuocari poſſe, adeoque pacta dotalia nunquam reuocari poſſunt, bene tamen ultima elogia ſuper bonis illis prolata, quae non coniugi ſuperſtiti futuro; ſed agnatis aliisue relinqui uolunt, quae uero elogia intuitu eorum, quorum fauorem reſpiciunt, indigne ſi non inepte pactis accenſentur.

§. VIII.

En! quam miſere cruciarit DDres diſcrimen inter pacta et ultima elogia in pactis matrimonialibus obuenientia, et quam miſera ſit induſtria, qua certae formulae inuentae ſunt, quibus pactis dotalibus robur addi debeat, ne in uoluntatem ultimam degenerent. Pacta certe de iure noſtro Germanico ſat roboris habent, ut certis uerborum formulis ueſtiri non indigeant, modo de animo contrahendi conſtet. Vltimae uero uoluntates adeo differunt a pactis, ut non aegre ſit palpandum, an pactum an Teſtamentum ſubſit. Exemplo res erit clarior. Ponamus inter neogamos ita conuentum eſſe;
Würde aber eines von beeden Ehegemächten ohne Hinterlaſſung Ehelicher Kinder dieſes zeitliche ſegnen, ſo iſt auf ſolchen Fall abgeredt, bedungen, und beſchloſſen worden, daß das Ueberlebende die Halbſcheide von des Verſtorbenen Hinterlaſſenſchafft erben, die andere Halbſcheide aber denen nächſten Anverwandten zufallen ſolle.

habes

habes hic pactum nullo modo niſi utriusque conſenſu reuocabile, habes et effatum alterutrius conſenſu, altero inconſulto, inſcio quouis tempore reuocabile, ſcilicet uterque coniux tenetur alteri relinquere dimidiam bonorum partem, et alter ſuperſtes tenetur alteram dimidietatem proximis agnatis reſtituere, uterque ui pacti, cui uterque conſenſit; de illa uero dimidietate, quam uterque proximis agnatis adſcripſerat, non impedit, quo minus uterque coniux aliter de ea poſſit diſponere, cum non ſit pactum initum cum agnatis de portione illa dimidia iis relinquenda, ſed coniuges enunciatiue tantum per modum ultimae uoluntatis eorum mentionem fecerunt, quos in uacua bonorum portione ſibi ſuccedere tum temporis uoluerunt, quibus adeo, cum inſalutati et citra conuentionem, ut futuri haeredes ſint nominati, nec ius ex pacto, nec ex ultima uoluntate natum eſt, multo minus contrahentes liberae teſtandi facultati de altera parte dimidia renunciare uoluiſſe dici aut praeſumi poſſunt, cum huius dimidietatis mentio non ſit facta animo deſuper contrahendi, ſed partem compaciſcentem ad eius reſtitutionem obligandi tantum.

§. IX.

Quod ſi uero iuxta communem formam loqui uolumus, foret heic pactum in uim ultimae uoluntatis conceptum, adeoque ab alterutro coniuge in tantum reuocabile, ut alter alteri dimidiam bonorum partem pacto iam promiſſam adimere poſſet ob formulam pacti: **Daß das Ueberlebende die Halbſcheide von des Verſtorbenen Hinterlaſſenſchafft erben ſolle**, quod uocabulum iuxta tradita STRYCKII ſupra §. 4. et BERGERI Oecon. Iur. Lib. 1. Tit. 3. §. II. non niſi pactis mixtis conuenit, per formulam obligandi autem, **ſo iſt auf ſolchen Fall abgeredt, bedungen und beſchloſſen worden**, pactum illud mixtum et praetenſe reuocabile in ſimplex et irreuocabile transfuſum fuiſſet, cum tamen per ſe iam intentio contrahentium fuerit, inuicem

inuicem ſeſe ad relinquendam dimidiam partem bonorum obligandi; de altera uero dimidietate idem foret dicendum, quod nempe de ea pactum in uim ultimae uoluntatis ſit conditum, cum tamen nec umbra pacti occurrat intuitu agnatorum, ſed tantum intuitu compaciſcentis, in tantum ut ſuperſtes ui pacti, adeoque iure actionis adigi poſſit, ad dandam agnatis dimidiam partem, niſi defunctus aliter diſpoſuiſſet, neutiquam uero intuitu agnatorum, quibus dimidia pars haereditatis deſtinata quidem fuit, ſed tantum per ultimam uoluntatem toties quoties reuocabilem.

§. X.

Ex quo iam per ſe fluunt regulae:

1.) *Quod pacta dotalia uim pacti haud aliter obtineant, quam quoad ipſos compaciſcentes, non autem quoad tertium, cuius in iis mentio quidem ſit, qui ſibi per pactum tamen non proſpexit.*

2.) *Quod pacta dotalia, quatenus compaciſcentes per ea ſeſe obligant, ſemper ſint irreuocabilia, niſi uterque in mutationem aut diſſolutionem conſentiat.*

3.) *Quod capita allotria in fauorem tertii per modum ultimae uoluntatis apposita, intuitu compaciſcentium pacta quidem dici mereantur, et uim obligandi habeant, ita tamen, ut tertio exinde nec exactio nec actio generetur, niſi ut ſuperſtes ad eius praeſtationem obligetur; enuncianti autem ſemper ſit liberum, uoluntatem ſuam mutare.*

Pro dilucidatione harum regularum placet enucleare caſum, quem recenſet STRYCKIVS de caut. cont. Sect. 3. cap. 8. §. 19.

Seia filiam ſuam Semproniam Caio nuptum dedit, cum eoque pacta dotalia iniit, ut, ſi Sempronia ſine heredibus deſcendentibus decedat, Caius aliquot millia imperialium cognatis defunctae ſolueret. Sempronia uero poſtea condidit teſtamentum, in quo cognatis ſuis minus, quam in pactis dotalibus conuentum, reliquit,

 unde

Digitized by Google

unde quaeſtio emergit, num proximi cognati in pacto **dotali** *cum effectu agere ualeant?*

Quem Facultas Iuridica Hallenſis negatiue ita reſoluit: quod Sempronia pacta illa per Teſtamentum mutare potuerit, ut inde cognati agere non poſſint, niſi oſtendatur, Seiam ex propriis bonis dotem conſtituiſſe, quo caſu cognati iure fideicommiſſi agere poſſent ex pactis dotalibus. Haec deciſio ut ut ſit iuri conformis, rationi tamen decidendi non genuinae innititur, ac ſi nempe, ut fuſius refert auctor, haec pacta pure in uim ultimae uoluntatis ſint condita; erat enim ultima uoluntas intuitu Semproniae, quam mutare illi liberum omnino erat, reſpectu autem Caii mariti efficaciſſimum erat pactum, cuius uirtute procul dubio tenebatur ad reddenda cognatis Semproniae aliquot millia Imperialium, niſi defuncta aliter diſpoſuiſſet. Felicius cauſa decidetur per applicationem, quas ſupra poſui, regularum, et quidem iuxta regulam 1 pactum inter Semproniam et Caium initum ſeſe ultra compaciſcentes non extendit, ita ut praeter illos alius quiſpiam nec obligetur, nec ius exigendi aut agendi adeptus ſit, in tantum, ut ſi mater Seia ratione fideicommiſſi ſibi per pactum non proſpexerit, nec filia ad id relinquendum, nec gener ad reſtituendum teneri potuerit. Iuxta regulam 2dam uero Caius ad reſtitutionem ſummae conuentae praeciſe adſtrictus fuiſſet, niſi uxor aliter diſpoſuiſſet, et tandem per regulam 3. Seiae matri eiusue haeredibus ex hoc pacto de reſtituendo ius ullum oriri non potuit, niſi ſpecialiter de reſtitutione ſibi facienda per pactum caueri curauit; ſecus enim cum ipſa non fuerit pars contrahens, pactum illud inter neogamos intuitu matris in terminis ultimi effati a filia facti ſubſtitit, tantumque intuitu mariti uim pacti conſecutum eſt, ut ab eo exigi potuiſſet ſumma conuenta, pactum uero cum matre Seia in uim ultimae uoluntatis initum aut dici nequit, aut ſumma conuenta ei reſtituenda et adiudicanda fuiſſet, *licet enim*, ut

ipſe

ipſe fatetur STRYCK. de ſucceſſ. ab inteſtato Differt. 8. cap. 5. §. 40. *nim ultimae uoluntatis quoad effectum deferendae haereditatis ſortiantur, pacta tamen ſunt, et modus ex his ſuccedendi conuentionalis eſt.*

§. XI.

Mox tamen §. ſeq. contrarius ſibi rurſus aliter ita pronunciat, quod ſi pater liberis primi thori certam portionem in pactis dotalibus aſſignauit, eam inuitis illis reuocare, et teſtamentum pacto contrarium condere poſſit, eamque ſententiam in praxi receptam dicit addita hac epicriſi: Imputet enim ſibi quisque, quod illam ſpeciem pactorum dotalium elegerit, quae mutationi ſunt obnoxia. Parum congruens hic ſermo; pacta namque inuito compaciſcente nequeunt reuocari, nec mutationi obnoxia dicenda ſunt, niſi fidem datam fallere fas ſit, ſed non fuit pactum inter patrem et liberos, ſed enunciatiue tantum et per accidens, de portione liberis aſſignanda mentionem fecit, quibus proinde ex pacto inter alios erecto, uti non iniuria, ita nec ius enaſci potuit.

§. XII.

Et cum hactenus dictis apprime conuenit praxis, nec inuenies controuerſiam ſuper reuocabilitate pactorum dotalium exortam, niſi inter coniugem ſuperſtitem, et eas perſonas, quarum in pactis dotalibus ita mentio eſt facta, ut futuram ſuccedendi ſpem captauerint in bonis ſuperſtiti non adſcriptis, in quibus tamen ex poſt alius eſt haeres inſtitutus. De ipſa coniugum ſucceſſione per pactum conuenta, uix quaeſtio emergere, aut lis oriri poteſt, an tale pactum reuocari poſſit, et conclamatum iam eſt inter Doctores, quod hoc in caſu reſiliendi et reuocandi facultas exulare debeat, et iis quidem perſonis certum et indubitatum eſt, haud ſecus ac in Teſtamentis et codicillis, haereditatem ac legata adimi poſſe, exinde tamen non ſequitur, ac ſi pacta unius diſſenſu reuocari poſſint.

§. XIII.

Exiſtimo itaque fallere falliquе eos, qui in aliud extremum recidunt, omnia capita pactorum antenuptialium, nullo habito diſcrimine, an pacta ſint utriusque, an effata unius coniugis, pro irreuocabilibus uenditantes, quos inter ſunt:

D. ENGAV *Elem. Iur. Germ. Lib.* 1. *Tit.* 12. §. 292. *et ſaepe cit.* STRYCK. *de Succeſſ. ab inteſt. Diſſert.* 8. *cap.* 5. §. 40.

cum tamen inficiandum non ſit, uix non in omnibus huiusce modi pactis, praeter ueras et irreuocabiles conuentiones etiam effata unilateralia unius uel utriusque coniugis deprehendi, de quibus dubium non eſt, quin reuocari pro lubitu poſſint. Certe in caſu ſupra §. 8. poſito, ubi inter coniuges conuentum: **Daß die andere Halbſcheide denen Nächſten Anverwandten zufallen ſolle**, pactum hoc coniugem ſuperſtitem ita procul dubio ſtringit, ut ad reſtituendam dimidiam haereditatis partem agnatis teneatur, intuitu Agnatorum uero certo certius eſt purum effatum uim ultimae uoluntatis habens, quod proin mutationi ſemper obnoxium manet, ita quidem, ut non interſit, quibus uerborum formulis illud exprimatur, et licet contrahentes dixerint **es ſeye zwiſchen Ihnen** per modum contractus irreuocabilis **alſo bedungen worden, daß die Halbſcheide des Vermögens denen nächſten Anverwandten zufallen ſolle**; haec tamen formula inter contrahentes tantum uim pacti infert, ut ſuperſtes eam non exigere, in caſum exactionis autem exceptione pacti repelli poſſit; Agnatis autem ius inde tantum abeſt, ut directo enaſcatur, ut caecutiat, qui iis actionem ex pacto inter alios inito abſolute concedere uellet.

§. XIV.

Ex quo iam ſponte ſua ſequitur, quid ſentiendum ſit, de clauſula modo allata, quam STRYCKIVS aliique ſuppeditant, quaque

que pacta uim ultimae tantum uoluntatis ut aiunt habentia, uirtutem contractus nanciſci praetendunt, nempe es ſeye per modum contractus et actus inter uiuos alſo beſchloſſen werden, licet enim ea adiiciatur effatis contrahentium in fauorem extranei adiectis, per hoc tamen non fiunt pacta niſi inter contrahentes, ita ut ſuperſtes id, quod extraneo reſeruatum eſt, exigere nequeat, reſpectu uero extranei in terminis ultimae uoluntatis reuocabilis ſubſiſtunt.

§. XV.

Quae hactenus dicta, licet a multorum Doctorum opinione ſint aliena, ratione tamen naturali ſunt ſuffulta, iuxta cuius dictamen unius effatum unilaterale, qualia ſunt omnia mortis cauſa effata, unius etiam uoluntate reuocari poſſunt, et diſtinctio haec inter pacta conuenta, et effata unius coniugis mortis cogitatione prolata in fauorem extraneorum (quorum nomine omnes ii ueniunt, qui non ſunt compaciſcentes, adeoque et coniugum agnati) expreſſe habetur in Iure Prouinciali Wurtemberg. P. 3. Tit. 8. Von Heuraths-Pacten und Abreden, ubi in principio ſtatim ſancitur: ut pacta dotalia ab uno coniuge altero inuito reuocari nequeant, in uerbis: Wann zwey Ehegemächt mit aufgerichten, verbrieften, oder unverbrieften, doch beweißlichen Gedingen, Pactionen und Eheberedungen, in die Ehe zuſammen kommen, ſollen dieſelbige ſteiff gehalten werden, und kein Ehegemächt für ſich ſelber zu des andern Nachtheil darwider einiges Teſtament, oder andere Verordnung fürzunehmen Macht haben; aber beeden Eheleuthen ſtehet allerdings frey und bevor, ihre Eheberedungen ſämtlich wider zu ändern, oder gar aufzuheben; mox tamen §. 3. additur: und wann in dergleichen Heuraths-Pacten ihrer oder anderer halb Verordnung beſchehen, was nemlich demſelben nach der paciſcirenden Eheleute Tod-Fall von ihrem Guth zufallen ſolle, mögen dergleichen Gemächt, deren Vollziehung erſt nach der Eheleuth tod geſchehen ſolle, ſo viel

ſolche nicht contrahirende Perſohnen, betreffen thut, durch die paciſcirende Eheleuthe ihres Gefallens wohl widerrufft und geändert werden. Rationes quibus haec ſanctio nititur, adducere nolo, cum ex praemiſſis iam pateant; miror tamen, LAVTERBACHIVM Diſp. 3. de differ. Iur. Com. et Prou. Wurtemberg. theſ. 18. eo prolabi potuiſſe, ut hanc ſanctionem Iuris Wurtembergici a Iure communi differre arbitraretur, cum tamen ius utrumque ad amuſſim conueniat, et in collegiis hactenus ita pronunciatum ſit practice, teſtantibus id reſponſis in lucem editis, ut ut theoretice aliter ſit diſputatum, interim haec ſanctio ſententiam meam iuuat; ut paradoxa uideri non poſſit.

§. XVI.

Magis e contra a Iure communi differre uidetur ſtatutum Reipublicae Vlmenſis de irreuocabilitate pactorum dotalium proditum, quod exhibet HARPPRECHT Conſil. Tubing. Vol. 2. conſ. 18. n. 162. cui cum altercationes Doctorum anſam dederint, eisque per hoc ſerio obex poni uoluerit, integrum recenſeri meretur:

Dieweilen bey uns, und gemeiner Statt Ulm, auch unſern Burgern und Angehörigen, von uhralten unverdencklichen Jahren löblich und Wohlherkommen, zwiſchen den Eheleuthen der erſten und andern, oder mehrern Ehen, Heurath-Beding, und Eheberedungen aufzurichten, und darinnen unter anderen zu pactiren, wie es nach Abſterben eines oder des andern Ehe-Gemächts, es verlaſſe gleich das verſtorbene von denſelben beyden Ehe-Gemächten erzeugte Kinder oder nicht, item es ſchreite das überlebende zu der andern Ehe, oder verbleibe im Wittib-Stand ſizen, mit deſſelben verſtorbenen, oder im Wittib-Stand verbleibenden Ehe-Gemächts Haab und Güther gehalten werden ſolle, ſich aber eine Zeit hero ereignen will, daß die Ehe-Gemächt zugleich, oder deren eines allein nach ſolchen Verordnungen zu caſſiren und zu vernichten vorhaben und ſich unter-

aufgerichten Heuraths-Pactis, teſtamenta zu machen, und was ſie, oder ihre Eltern und Verwandten, in beeder Ehe-Gemächt Nahmen einander verſprechen und zugeſagt, durch ſolche Teſtament und andere Verordnungen zu caſſiren, und zu vernichten vorhaben, und ſich unterſtehen dörffen, dardurch dann allerley Wiederwillen, Zweifel und Müß-Verſtand verurſacht worden, alſo und ohngeacht was ſonſt die Gemein beſchriebene Recht, und derſelben Gelehrte in ſolchen Fällen verordnen und diſponiren, haben wir inſonderheit ſtatuirt und verordnet, ordnen und ſtatuiren auch hiemit, daß in künfftige Zeit dieſelbige zwiſchen beyden Ehe-Gemächten aufgerichtete Heuraths-Pacta und Beding, es verlaſſen gleich ſolche Ehe-Gemächt eheliche Kinder, oder nicht, ſo viel das Heurath-Guth, Widerlegung, Morgen-Gaab, Fahrnus, und was in währender Ehe von beeder Ehe-Gemächt Haab und Gut gewonnen, und errungen, in allem gehalten und vollzogen, und durch Teſtament, oder andere letze Willen nicht vernichtet oder caſſirt werden, ſondern kräfftig und beſtändig bleiben ſollen.

De hoc iure itaque Vlmenſi certo certius eſt, non poſſe pacta dotalia diſſenſu unius diſſolui aut mutari; an autem effata illa ſuper parte bonorum in caſum mortis diſpoſitiua, quae alteri coniugi non ſunt pacta, ſed extraneo non compaciſcenti deſtinata uel reſeruata pari irreuocabilitatis iure cenſenda ſint, dubium uideri poſſet ob generalitatem uerborum, quibus hoc ſtatutum conceptum eſt, et ob clauſulam derogatoriam, ungeacht was ſonſten die Gemeine beſchriebene Rechte und derſelben Gelehrte in ſolchen Fällen verordnen und diſponiren, quae quidem derogatio non niſi licentiae reuocandi atque caſſandi poteſt eſſe oppoſita, cum irreuocabilitas per legem ſtatutariam ſatis ſit ſalua ſatisque certa. Nihilo tamen ſecius ex ipſis ſtatutorum uerbis contrarium, quod nempe ultima elogia contrahentium uniuscuiusque diſſenſu et noluntate reuocari poſſint, euinci poſſe exiſtimo. Primo enim lex haec ſtatutaria non de ultimis uolunta-

Digitized by Google

luntatibus ſed ſolummodo de pactis dotalibus lata eſt, nec adeo in materia ultimarum uoluntatum ſed pactorum tantum applicabilis eſſe, iuxtaque eam iudicium ferri poteſt. Secundo intentio ſtatuentium haud alia fuit, quam ut obuiam eatur altercationibus Doctorum eorumque Diſputationibus, quaenam pacta pro mixtis, quae pro ſimplicibus, quae irreuocabilia, quae reuocabilia habenda ſint. Cum uero ipſi compilatores huius Statuti uarietate opinionum obruti in ancipiti forſan uerſari definire dubitauerint, quae pacta ſimplicia, quae mixta, quae naturam contractus, quae ultimae uoluntatis uim habere debeant, per recenſionem partium litem expedire maluerunt, ſpecifice exprimentes capita illa, de quibus inter coniuges conueniri ſolet, nempe dotem, antipherniam, Morgengabam, utenſilia et acquaeſtum coniugalem, ſtatuentes, ut pacta de hiſce capitibus erecta ne reuocentur, de ſucceſſione uero agnatorum, aliorumque extraneorum, deque eo, quod alter coniugum ſibi pro libera mortis cauſa diſpoſitione reſeruat interdum, ne hiantes quidem; e contra per formulam loquendi: Daß durch Teſtament, oder andern letzten Willen die Heuraths-Pacta nicht vernichtet oder caſſiret werden, ſondern kräfftig und beſtändig ſeyn und bleiben ſollen, non omnia capita atque effata in Inſtrumentis matrimonialibus occurrentia, pro pactis uenditare uoluerunt, dum perquam notanter exprimi curarunt, ſo viel das Heurath-Guth, Widerlegung, Morgengaab, Fahrnus ꝛc. berührt, et per hoc ſedulo diſtinxerunt ea, de quibus inter coniuges conueniri ſolet, ab iis, quae agnatis haereditatis titulo deſtinantur. Id quod tertio magis elucefcit, ſi cauſa ſtatuti impulſiua penitius inſpiciatur, quae ita recenſetur: ſich aber eine Zeit her ereignen will, daß die Ehe-Gemächt zugleich oder deren eines allein, nach ſolchen aufgerichten Heuraths-Pactis Teſtamenta zu machen, und was ſie oder ihre Eltern und Verwandten in beeder Ehe-Gemächt Nahmen einander verſprochen und zugeſagt durch ſolche Teſtamenta und andere

Ver-

terſtehen dörffen, xc. aduerſus hunc abuſum ſtatutum nouum correctorium Legiſlatores meditati ſunt, ſi uero de interpretando, limitando aut ampliando iure correctorio quaeſtio oritur, prima haec regula iuris eſt, ut lex correctoria, cum eo, quod corrigi uoluit, conferatur, in praeſenti caſu corrigendum id erat, ne in poſterum per teſtamentum reuocetur, quod alter coniugum eiusue nomine parentes aut proximi Agnati alteri coniugum ſtipulantur, id eſt, ne pacta quatenus uere ſunt pacta reuocentur, neutiquam uero prohibetur, ne ultima coniugum uoluntas reuocetur, ſi qua innixa earum facultatum, de quibus uel pactum non aliter niſi de reſtituendo eſt initum, aut quae pro libera diſpoſitione ſunt reſeruatae, occaſione pactorum dotalium foret declarata. Imo iniquiſſimum quarto foret, neogamos deterioris ac alios teſtantes reddere conditionis, ſi ab ultimis uoluntatibus, quas ex accidenti et occaſionaliter tantum, et quidem ea plerumque aetate eoque nuptiarum tempore, ubi a mortis cogitatione ſunt alieniſſimi, declararunt, recedere aliosque quam Agnatos haeredes dicere iis nefas foret, cum tamen Agnatorum mentionem non animo deliberato et praemeditato, ſed plerumque ut praeſentium et in actu paciſcendi interuenientium, honoris gratia fecerint, nec tam in actu teſtandi, quam liberam adhuc facultatum ſuarum partem a Compaciſcente ſibi uindicandi uerſati ſint.

§. XVII.

Ex hiſce iam eluceſcit, qui cum grano ſalis accipienda ſit Licentia reuocandi pacta antenuptialia, et qua ratione prohibitiones de non reuocando intelligi debeant; non tamen inficias eo, fieri interdum pacta in fauorem Agnatorum irreuocabilia, ſi ſcilicet ab altero coniuge cum his ipſis fuit contractum, cuiusmodi caſum recenſet STRYCKIVS de caut. contr. Sect. 3. cap. 8. §. 26. ubi ſpon-

ſus cum ſponſa eiusque cognatis in pactis dotalibus ita conuenit, ut ſi prior illa decedat, dote illata cum reliquis paraphernalibus mobilibus ad eum delatis contentus, ex reliquis eius bonis nec ex teſtamento, nec ab inteſtato quidquam petere, ſed ui pacti, quo illis omnibus renunciauit, inde excluſus eſſe uelit; matrimonio autem conſummato, et dote illata coniuges teſtamentum reciprocum condiderunt, in quo uxor maritum, excepta legitima auiae uniuerſalem haeredem omnium bonorum inſtituit, et pacta dotalia expreſſe reuocauit, unde tum quaeſtio oriebatur: utrum maritus, ſi ex teſtamento uxoris haereditatem petere uelit, exceptione pacti repelli queat, et affirmatiue reſponſum fuit, ea potiſſimum ex ratione; quod ex pactis dotalibus apparuerit, familiae conſeruandae gratia ita conuentum, et maritum ad renunciandum haereditati tam teſtatae quam inteſtatae non tam a ſponſa, quam eius agnatis in horum imprimis fauorem adactum fuiſſe, cui proinde fauori pro familia cauto renunciare liberum eſſe non potuit uxori.

§. XVIII.

Perquam facile eſt itaque mea quidem ſententia, ſecernere quid pacti uim aut ultimae uoluntatis indolem habeat; quidquid enim inter partes compaciſcentes conuentum eſt, pro pacto merito iudicandum eſt non attento, quibus formulis ſit conceptum, ſiue per **Erben** ſiue per **haben**, ſiue **ſuccediren**, ſiue **bekommen** exprimatur, quod uero extraneis deſtinatur, pactionis quidem uim obtinet ratione reſtitutionis a coniuge ſuperſtite faciendae, manet tamen in terminis ultimae uoluntatis intuitu eorum, quibus deſtinatum erat, ita ut liberum omnino ſit, ad extremum usque uitae halitum per Teſtamentum aliter de eo diſponere.

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Quibus uero cautelis utendum ſit, ut pacta poſt mortem unius coniugis extra periculum mutationis per alterum faciendae tuto ſint poſita, per quam facile eſt dictu; cum enim uerborum formulae uti iam demonſtraui ex ipſa Doctorum confeſſione, parum ad rem faciant, modo exprimantur pacta per uerba conuentionibus accommodata, et in contractibus adhiberi ſolita, parum artis requiritur ad pacta in ſcripturam redigenda. Quod uero attinet bona uni coniugum in futuram diſponendi gloriam reſeruata, non magis difficile eſt uel ſimpliciter reſeruationem ab uno coniugum factam inſtrumento inſerere, uel formulam pacti de reſtitutione a ſuperſtite facienda effingere, nec impedit, ſi reſtitutio bonorum reſeruatorum proximis Agnatis fieri mandetur, cum nihilo ſecius mutandi licentia ſalua maneat, tutius tamen eſt et litibus praeſcindendis inſeruit, ſi adiiciatur, es wäre dann, daß über ſolches Vermögen anderſt diſponirt würde, als welches ſich NN. ausdrücklich vorbehalten.

§. XX.

Reſtat, ut de Teſtibus dicam, quos in pactis uim ultimae uoluntatis praeſenſe habentibus communiter et quidem ex neceſſitate iuris requirunt; ſed quemadmodum non dantur pacta eiusmodi reuocabilia, ita et pacta dotalia ab aliis conuentionibus et actibus inter uiuos non differunt; de iure communi, ſed absque teſtibus perfecte ineuntur, ultima elogia, quae de uacua et compaciſcenti non adſcripta bonorum parte, pactis annecti ſolent, rariſſime, ſi non plane nunquam ita ſunt concepta, ut interuentione teſtium ſit opus, cum enim enuncientur in praeſentia plerumque

 Agna-

Digitized by Google

Agnatorum, ita ii plerumque haeredes futuri nominantur, magis tamen honoris et dicis gratia quam animo deliberato ſerioque, qui cum ab inteſtato eſſent ſucceſſuri, niſi alii haeredes ex poſtſcribentur, ita haec ſolemnitas teſtium adhibendorum irrita eſſet futura; quod ſi quis uero occaſione pactorum dotalium extraneum quemquam uellet haeredem inſtituere aut fideicommiſſum per Codicillos condere, eo in caſu Teſtibus aut ſeptem aut quinque opus eſſe, per ſe patet.

NOBI-

Digitized by Google

NOBILISSIMO CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

DNO. ANDREAE RIESCH

IVR. CAND.

S. P. D.

IOS. ANT. BVRCKLE I. V. LIC.

Vix inde ſesqui elapſus eſt annus, quo lectiones meas priuatas auſcultare deſiiſti, et in eo iam eſt, ut a Venerandiſſimis meis quondam Praeceptoribus, iidem TIBI, quos ab iisdem retuli, conferantur honores; habeo itaque, ut mihi gaudeam, TIBIque gratuler, de curſu ſtudiorum tam ueelociter tamque feliciter peracto. Contigit enim TIBI, quod raro, quod paucis; ſed iure, rara namque et induſtria TVA fuit, qua per integrum triennium, non, ut ſolent, per aliquas tantum diei horas, ſed a prima ad ſeram usque lucem, partim lectiones meas auidiſſime hauſiſti, partim exercitiis practicis operam tam ſedulo impendiſti, ut extra ſomni cibique capiendi neceſſitatem muſeum meum egredi nefas TIBI duceres, unde fieri non potuit, quin uberrimos tam in theoria, quam praxi fructus faceres, nec mirum, ſi nunc induſtriae TVAE fructus feras, inuidendos iis, qui de otio TVO mecum conſumto, male quondam ſenſerunt; Plura non dico, nec in laudes TVAS ulterius excurro, ne uanam ipſe gloriam captare uidear, aut modeſtiam TVAM offendam. TVVM interim erit (patere, ut liberius tecum loquar, et antiquo Praeceptoris iure utar) meminiſſe, DEO Ter Optimo Maximo acceptas eſſe referendas ingenii dotes iisque ſic utendum ab iis, qui diuina humanaque iura edocti ſunt, ne aduerſus bina illa, quae uniuerſam noui foederis legem efficiunt, et tria iuris praecepta generalia §. 3. inſtit. de Iuſtit. et Iure impingant, honeſte ſcilicet uiuant, neminem laedant, ſuum cuique tribuant, iisque demum, qui haec ſequuntur, dictum eſſe illud Gothofredi ad Leg. 1. §. 3. ff. de pericul. et commod. rei uendi: Inter Iuris conſultum et uirum bonum nihil intereſſe, et certiſſimam ad coelum uiam eſſe noſtram Iuris profeſſionem. Haec non dico, quaſi

 diffi-

Digitized by Google

diffiderem honeſtati TVAE, noſti enim quid de TE nullo non tempore ſenſerim, et cum ſpem de TE conceptam non modo non feſelleris, ſed egregie ſuperaris, non eſt cur uerear, ne patriae TVAE quondam ut Vir bonus, aeque ac Iuris Conſultus ſis a conſiliis futurus. Viennam nunc tendis ut quae degluriiſti, nunc digeras, et in ſuccum et ſanguinem uertas; certe ad id natus eſſe uideris, ut res TVAE TIBI proſpere cedant, ſub auſpiciis enim Viri illius Celeberrimi, cuius manuductioni TE ſubiicere intendis, ſolidiſſimam tam ſtatus quam Iuris Germanici prudentiam capiendi, inuidenda TIBI erit occaſio, qua ut ſolerter feliciterque utaris non moneo, ſed opto, et Diuinum Numen impenſiſſime rogo, ut conatus TVOS auſpicatiſſimos eſſe iubeat. TV uero ſi graue non eſt, in poſterum mihi tantum faue, quantum ut ualeas opto. Dabam Waſſerburgi Sueuorum die 15. Dec. 1745.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO
S. D.
M. IOH. IACOBVS FREY.

Amicitiae leges requirunt, CANDIDATE DIGNISSIME, ut, quam uoluptatem ex honore TVO capio, illam, quantum in me eſt, publice declarem, quo magis exploratum TIBI ſit, qua obſeruantia TE colam. Nos enim, quos eadem et genuit et aluit terra, cum a condiſcipulatu uiueremus coniunctiſſime; mihique TE penitius inſpicere liceret, ſuſpexi equidem ſummum TVVM atque excellens ingenium ſuſpexi TVOS ad doctrinam praeclaros impetus; TVOS autem mores, TVAM naturae comitatem dilexi ſemper, ac proinde TE omni ſtudio amplecti coepi. Illud igitur iucundiſſimum mihi accidit, quod TV earum laudum principia, quibus in patria adhuc florebas, deinceps ita perfeciſti, ut iam praemia capias induſtriae ampliſſima. Dignum ſcilicet TE iudicauit MAGNIFICVS IVRIS CONSVLTORVM ORDO, cui ſummos in Iure honores conferret. Tantorum TV Virorum ſuffragio ornatus meis ſane non eges laudibus, quae

proſus

prorſus ſuperuacaneae uidentur. Gratulatione mihi potius utendum eſt, et primum quidem TIBI gratulor TVA cauſſa de iſta ornamentorum acceſſione, eamque TIBI feliciter euenire uolo. Sed mouet me aliquanto magis publica res. Gratulor Patriae noſtrae, quae potiſſimum doctrinae TVAE fructus expectat. Auguror enim, neque auguror ſolum, ſed certo ſcio, TE futurum ſemper TVI quam ſimillimum, atque ipſum, qui TE nunc ornat, honorem ita ornaturum, ut in Patriam exinde redundent maxima commoda. Quo magis precor, ut, quod paras, iter quam feliciſſime conficias, TVASque res agas ex animi ſententia, quo ſic ad TVOS confirmatus reuertare, ut, quam expectationem TVI concitaſti, hanc ſuſtinere ac tueri poſſis. Ego uero TE abſentem animo ſemper atque cogitatione complectar, TVAMque amicitiam in maxima felicitatis meae parte reputabo. Vale. Scripſi Altorfii XII Kal. Ian. CIↃIↃCCXXXXV.

MONSIEVR,

SI je n'avois qu'à loüer, je trouverois aujourd'hui la matiere la plus riche pour Vous elever au deſſus de tout ce qu'on peut s'imaginer. Mais à quoi bon de faire une ſi grande profuſion de belles paroles, lorſque Vos bonnet qualités ſont très certaines, et très evidentes. Les Theſes ſolides, et très bien fondées que Vous publiés maintenant avec beaucoup d'applaudiſſemens confirment tout ce que je viens de dire. Je le crois de meilleure grace de joindre ma voix aux acclamations de tout ce qu'il y a des gens equitables qui ſe font un plaiſir de voir le merite recompenſé. Jugés de la, MONSIEVR, ſi je ſuis obligé de Vous feliciter, et ſi je ne dois pas être des premiers à le faire, puiſque j'ai reſſenti les preuves les plus authentiques de Vôtre chere amitié. Hé bien, je Vous ſouhaite que l'honneur, et le degrè que Vous remportés à preſent avec beaucoup de loüanges ſoient ſuivis de tous ce qui Vous peut combler de bonheur, et de felicité, qui ne manqueront jamais de Vous accompagner.. Portés Vous toûjours bien, vivés content, et prenés les plaiſirs, dont Vôtre humeur enjoüée et la fleur de Vôtre âge Vous feront l'offre le plus agreable. Faites moi la grace de me conſerver toûjours dans Vôtr cher ſouvenir. Je ſuis avec le zéle d'une ame ſenſiblement obligée

MONSIEVR,

Vôtre très-obéiſſant Serviteur
F. G. Dannreuther.

Diſ-

Differis in cathedra RIESCHI plaudunque Camoenae,
TE decorant artes; publica iura tenes,
Applaudo coeptis, praemia digna precor
Vt nomen ſemper floreat ac uigeat.

Hoc ex ſinceri cordis affectu DOMINO CANDIDATO gratulans accinuit.
IOH. IAC. SOLGER Opp.

PRAENOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME
DOMINE CANDIDATE.

Eſt ea ſcientiarum et eruditionis communis et quaſi innata indoles, ut maximarum rerum capiantur exigua primordia, et tandem a leuioribus ſtudiis ad ea quae ſunt maioris momenti pateat transgreſſus. His ita nunc relictis, ſatis iam agitato academico lapide, et iis peractis litteris quae iuſtitiae ſacerdotem exornare poſſunt, in eo iam omnis es, ut doctrinarum iuris quarum antea cultor exſtiteras arbiter nunc et iudex euadas. Publicis iam monumentis, et huius diſſertationis eleganti documento, tam Eruditiſſimorum Virorum Inclyto Conſeſſui quam nobis probatum dediſti, multum poſſe indolem rite nutritam ſub fauſtis penetralibus, ac omnino inſitam naturae et pectoris bene nati uim iuuari erigique recta inſtitutione et in maius meliusque prouehi. Hi ergo decreuerunt, ut quidquid impenſum honoris antea fuit dignitati anteceſſorum TVORVM in hoc munere acquirendo, neutiquam TIBI ſit denegandum. Ea uero omnia ita comparata eſſe, ut iure TVO TIBI condignas laudes uindicare poſſis nemo profecto dubitabit, Et illud quoque eſt de quo TIBI ex animo gratulor, et cum ea iam uetus ſit et plurium ſapientum conſenſu firmata opinio, eſſe aliquod momentum in natali ſolo ad ingeniorum felicitatem, TEque Lindauiae natum nouerim: auguror, TE quoque ad eorum exemplum euaſurum eſſe, qui ex communi TVA Patria progeniti, decus et ornamentum litterarum orbi attulerunt. Iis omnibus praeterea uota iungo pro ſempiterna TVA felicitate, meque fauori et amicitiae TVAE commendo, TIBI

deditiſſimus
IO. BERN. DEGELMANN.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMAN.